



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliæ
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>
Haimo <Halberstadensis>**

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Feria ij. pentecostes

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

mo uestrum patiatur, quasi homicida, aut fur, aut adulter. Si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet deum in isto nomine.

FERIA SECUNDA PENTE

costes. Iohannis III.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Sic deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam aeternam. Et reli-

VNde notandum, quod eadem de filio dei unigenito replicat, quae de filio hominis in cruce exaltato premerat, dicens: [Ut omnis qui credit in ipso, non pereat, sed habeat uitam aeternam.] Quia profecto idem redemptor & conditor noster, filius dei ante secula existens, filius hominis factus est in fine seculorum, ut qui nos per diuinitatis suae potentiam creauerat, ad perstruendam uitę beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostrae nos restauraret, ad recipiendam quam perdidimus uitam. Sequitur:

Non enim misit deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, sed ut saluet mundus per ipsum.] ¶ Ergo quantum in medico est, sana re uenit aegrotum: sed interimitur, qui praecepta medici seruare non uult. Venit saluare mundum. Quare saluator dictus est mundi, nisi ut saluet mundum, non ut iudicet mundum? Saluari non uis ab ipso: ex teipso iudicaberis. Et quid dicam iudicaberis? Videte quid ait:

Qui credit in eum non iudicatur. Qui au-
tem non credit.] Quid dictuum sperabas, nisi iu-
dicetur? [Iam] inquit [iudicatus est.] Non dū ap-

O

paruit iudicium, sed iam factum est iudicium. Nouit dñs qui sunt eius, nouit qui permaneant ad coronam, & qui permaneant ad flammarum: nouit in arca sua tritcum suum, nouit & paleans, nouit & segetem, nouit zizaniam. Iam dñjudicatus est qui non credit. Quare iudicatus est?

Quia non credit in nomine unigeniti filij dei. Hoc est autem iudicium, quia lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucē. Erant enim corum mala opera.]

Fratres mei, quorum opera bona inuenit dñs. Nullorū Omnia enim opera mala inuenit. Quomodo ergo quidam fecerunt ueritatem, & uenerunt ad lucem. Hoc sequitur:

Qui autem facit ueritatē, uenit ad lucem, ut manifestetur opera eius, quia in deo suu facta.] et Q uomodo ergo quidam bonum opus fecerunt, ut uenirent ad lucem, id est, ad Christum? & quomodo quidam dilexerunt tenebras? Si enim omnes peccatores inuenit, & omnes a peccato separari: & serpens ille in quo figurata est mors dñi, eos sanat qui morsifuerant: & propter mortis serpantis erectus est serpens, id est, mors dñi propter mortales homines, quos inuenit iniustos, quomodo intelligitur. Hoc est iudicium, quoniam lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem, Erant enim eorum mala opera? Q uid est hoc? Quorum enim erant operabonae? Nonne uenisti ut iustifices impios? Sed dilexerunt (inquit) magis tenebras quam lucem. Ibi posuit uim. Multi enim dilexerunt peccata sua, multi confessi sunt peccata sua: quia qui confitetur pec-

Nu.21.

Ioh.3.

cata sua, & accusat peccata sua, iam cum deo facit. Accusat deus peccata tua, si & tu cum accuses, coniungoris deo. Quasi duæ res sunt, & homo & peccator. Quod audis homo, deus fecit: quod audiis peccator, ipse homo fecit. Dele quod fecisti, ut deus saluet quod fecit. Oportet ut oderis opus tuum in te, & ames in te opus dei. Cum autem cœperit tibi displicere quod fecisti, inde incipiunt bona opera tua, quia accusas mala operata tua. Initium honorum operū tuorum, confessio est operū malorum. Facis ueritatem, & uenis ad lucem. Quid est facere ueritatē? Non te palpes, non tibi blandias, non tibi aduleris, non dicas, iustus sum, cum sis iniquus, & incipis facere ueritatem. Venis autē ad lucē, ut manifestentur opera tua, quia in deo sunt facta. Quia & hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret, nisi deus tibi luceret, & ei^r ueritas tibi ostenderet. Sed qui etiam admonitus diligit peccata sua, odit admonentem lucem, & fugit eam ut non arguantur opera eius mala, que diligit. Qui autem facit ueritatem, accusat in se mala sua, non sibi parcit, non sibi ignoscit, ut deus ignoscat, quia quod uult ut deus ignoscat, ipse agnoscit, & uenit ad lucem, cui gratias agit, q̄ illiqd in se odiasset ostenderit, & dicit deo: Dñe, auerte faciē tuam a peccatis meis. Et quia frustra dicit, nisi iterum dicat: Quoniam facinus meum ego agnoso, & peccatum meum contra me est semper, sit ante te, quod nō uis esse ante deū. Si autem post te feceris peccatum tuum, retrorquet tibi deus illud ante oculos tuos: & tūc retrorquet, quan-
do iam pōnitentiæ fructus nullus erit.

Psal. 50.

Ibidem.

Q ii